



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 129. Franciscus Turrianus, seu de Turre mortuus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul XVI.

A.C. 1584.

§. CXXIX.

Franciscus Turrianus, seu de Turre mortuus.

*Dupin.**pag. 454.**Thuan. l. 80.**Alegamb. l. c.*

Alter, qui hoc anno obiit, erat Franciscus de la Turre, seu Turrianus in oppido Errera Diæcesis Valentinae in Hispania natus, qui cum ingenti progressu studiorum stadium emensus primas eo curas impendebat, ut in celebrioribus Italiae Bibliothecis plura graecorum Auctorum nondum typis editorum opera conquireret, eaque latine reddita publici juris faceret: interfuit quoque Tridentino Concilio, inde vero redux Jesuitis sese aggregabat, Societatis habitum indutus in Nativitatis Dominicæ festo die vigesima quinta Decembris Anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, postquam jamjam ætate provectus erat: demum vero in Germaniam secessit, ubi calamum suum præcipue contra hæreticos exercebat, quorum plurimi ejus rationes suis responsionibus eludere nitentur, quos tamen omnes protinus refellebat. Ceterum in dogmaticis mediocriter, in arte critica autem omnino versatus non erat, pariterque ex ejus versationibus quam plurimis sat elucet, quod minus exactam in hoc studio operam impenderit. Porro per plures

res annos in Germania moratus tandem Romam reversus ibidem octogenario minor anno post Christum natum millesimo quingentesimo octogesimo quarto decessit.

Sæcul. XVI.
A.C. 1584.

§. CXXX.

Pauli Foxii Tolosani Archiepiscopi fatum.

Lugebat etiam hoc anno Francia ja-
cturam duorum celebriorum Viro-
rum, qui patriæ suæ ornamentum ex-
stitere, eorumque primus fuit Paulus
Foxius Joannis Foxii, seu Fuxii Carma-
nii Comitis Filius, & postea Tolosanus
Archipræsul, qui olim in Parisiensi Cu-
ria Senator, ac dein Anglicana, Po-
lona, & Veneta, necnon & aliis lega-
tionibus summa cum prudentiæ laude
felicissime defunctus fuit, atque ulti-
mis Henrici II. temporibus Romam ad
Gregorium XIII. Legatus decerneba-
tur, cumque in alma hac urbe Orato-
rem regium ageret, inter sacra morbo
repentino correptus optime meritam de
patria, & Rege animam Deo hoc anno
exeunte Majo reddidit, ætatis anno quin-
quagesimo sexto, ceterum defuncto in
Beati Ludovici Ecclesia Gallis propria
magna pompa parentatum fuit quarta
Calendis Junii, ubi Magister Antonius
Muretus celebris illo ævo Orator mor-
tuus

Thuan. l. c.
Sanmarth.
elog. Doct.
Gal. 1. 3.
Gall. Christ.

Hist. Eccles. Tom. L.

Q tuum